

justitia. Hæc igitur omnia in vita spirituali sunt, et propter illa sunt septem sacramenta instituta. Baptismus, ad regenerandos homines in spirituali vita; confirmatio ad dandum augmentum, robur ac virilem statum; Eucharistia, ad conservandam et nutriendam charitatem; et ita hæc tria sacramenta sunt bona per se ordinata ad bonum singulorum. Pœnitentia vero addita est occasione actualis peccati ad curandam spiritualem ægritudinem, si post generationem spiritualem contingat illam incurrere; adjuncta vero est extrema unctio, quasi ad instaurandas vires, et reliquias ægritudinis prorsus curandas. Ordo vero et matrimonium ad bonum totius communitatis ordinata sunt; hoc propter propagandos homines spiritualis vitæ capaces, ille vero ad spiritualiter regendos illos.

8. Circa hanc vero congruentiam dubitari potest, quia in multis rebus non servatur convenienter proportio assumpta, nam in vita corporali non sunt distincta media ordinata ad augendum, et nutriendum, seu conservandum corpus, et ad reparandum illud post expulsam ægritudinem; totum enim hoc agitur eisdem cibis et eisdem internis facultatibus, calore scilicet naturali et virtute nutriente; ergo in vita etiam spirituali idem Eucharistiæ sacramentum, quod est cibus animæ, sufficere poterat et ad nutriendam et augendam spiritualem vitam per baptismi regenerationem datam, et ad confirmandam, perficiendam, et purificandam (ut sic dicam) eandem spiritualem vitam per pœnitentiæ medicinam restitutam. Hæc enim de causa, Eucharistia non solum post baptismum, sed etiam post pœnitentiam, nec semel tantum, sed iterum atque iterum sumenda est. Secundo aliunde videri potest addenda fuisse alia duo sacramenta ad bonum totius communitatis: unum quidem ad commodum eorum, qui humanam rempublicam temporaliter gubernant; dictum est enim ad vitam humanam naturalem duo esse necessaria, scilicet propagationem generis humani, ejusque gubernationem; ergo, sicut institutum est unum sacramentum ratione propagationis, ut sancte fiat, ita institui aliud debuit ratione gubernationis, ut magistratus, qui rempublicam gubernant, inde haberent speciale Dei auxilium, suo muneri valde necessarium. Neque enim ad hoc sufficit sacramentum Ordinis, quia valde diversum est spirituale et temporale regimen, et valde diversa utriusque potestas. Nam inter se et re et subjecto frequenter se-

parantur; sacramentum autem Ordinis dat spiritualem potestatem, non vero temporalem, nec speciale auxilium ad illam sancte exercendam; ergo ad hoc necessarium fuit aliud sacramentum pro bono totius communitatis. Alia ratione videntur etiam requiri plura sacramenta ad commune bonum Ecclesiæ; nam triplex hominum status est in Ecclesia: sacerdotii seu Episcopatus, matrimonii, et religionis; sed ad perficiendos seu juvandos homines in duobus primis statibus instituta sunt duo sacramenta; ergo oportuit aliud institui, quo perficerentur homines, qui tertium statum vellet assumere, ut gratiam ex opere operato, et speciale auxilium reciperent ad sustinenda et perficienda onera illius status; maxime cum status ille religiosus sit et sacer, ac difficilis, multumque indigens divina opera et gratia, et aliunde magnam proportionem habeat ad sacram significationem ex institutione recipiendam, cum sit veluti quoddam spirituale vinculum et mutuus contractus inter Deum et animam.

9. *Ad objectionem respondetur.* — Respondetur, in his congruentiis et proportionibus non esse petendam exactam similitudinem, neque absolutam demonstrationem, quæ ostendat id, quod factum est, ita esse conveniens, ut non possit alio convenienti modo fieri; constat enim hoc non esse necessarium, quia facile est Deo variis atque infinitis modis convenientibus, atque infinitæ sapientiæ ejus consentaneis, hominibus consulere. Ad priorem ergo partem objectionis respondetur primo, in vita corporali illos tres fines esse diversos, scilicet nutriendi, augendi, et reparandi vires corporis. Rursus, media ad hos fines, licet non omnino, tamen aliquo modo esse diversa; et hoc satis est ad prædictam proportionem, et ut intelligamus, etiam in spiritualibus hos fines esse diversos, et propter eos potuisse satis convenienter, tria sacramenta institui. Sed addi præterea potest, sacramentum Eucharistiæ per se primo institutum esse ad nutriendam charitatem; fuisse tamen necessariam confirmationem, quæ proxime ac per se institueretur ad stabiliendum hominem in fide, dando illi specialem gratiam et robur ad profitendam illam superando omnia pericula; et propter hanc causam dicitur specialiter dare augmentum et virilem statum in vita spirituali, et consignare hominem in militem idoneum ad spiritualem pugnam strenue exercendam. Præter hæc vero necessarium fuit aliud sacramentum, quod

specialiter juvaret hominem in virtute spei, quod non immerito attribui potest sacramento extremæ unctionis; nam spes beatitudinis obtinendæ maxime videtur necessaria in mortis articulo. Et ideo institutum fuit illud sacramentum, quo animarentur et novam quamdam fiduciam conciperent homines ex hoc mundo transituri. Propter has ergo causas et propter plures alias, quæ suis locis tradentur, oportet hæc sacramenta esse distincta.

10. *Ad posteriorem partem objectionis respondetur,* non fuisse necessaria alia sacramenta; nam quod attinet ad temporalem potestatem, magna differentia est inter illam et spiritualem; nam illa naturalis est seu humana, fundamentum habens in natura et voluntate humana; hæc vero est supernaturalis, et in ea non tantum reperitur potestas jurisdictionis, quæ per extrinsecam concessionem dari solet, sed etiam potestas Ordinis, quæ ad supernaturales et divinas quodammodo actiones ordinatur, et ideo oportuit hanc potestatem dari per speciale sacramentum. Rursus, quia actiones hujus potestatis sacræ sunt et proxime ordinantur ad cultum Dei, ideo oportet specialiter sanctificari per sacramentum eos, qui ad illas ex officio obeundas ordinantur; actiones vero potestatis temporalis non sunt sacræ, sed civiles ac morales, et ideo, sicut ad illas probe exercendas, morales virtutes sufficiunt, ita etiam satis sunt ea subsidia et sacramenta, quæ Deus omnibus fidelibus providit, ut bene moraliter vivere possent; alioqui, si ad justitiam recte administrandam instituendum fuisset unum sacramentum, eadem ratione ad servandam castitatem, et singulas virtutes, debuissent singula sacramentalia remedia institui. Atque eadem fere responsio est ad alteram partem. Ut enim nunc abstinemus ab illa disputatione, an status religionis fuerit a Christo institutus, propter illum non fuit necessarium speciale sacramentum institui, quia in eo nullum est speciale ministerium, seu spiritualis potestas, sicut est in sacerdotali statu, sed solum est via quædam et schola addiscendæ et acquirendæ perfectionis charitatis et virtutum omnium; ad quem finem sufficiunt communia sacramenta, si frequentius et dignius eis utamur; nam ut dixi, propter solam perfectionem virtutis exercendæ, nisi adsit alia specialis ratio, non oportuit distinctum sacramentum institui. At vero in matrimonio non una tantum, sed plures rationes speciales

reperiuntur. Primum, specialis significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, quam a principio habuit fidelium matrimonium, propter quam oportuit in lege gratiæ sanctificari. Deinde magna necessitas illius status, conjuncta cum magna fragilitate, difficultate, ac periculo, propter fomitis ac concupiscentiæ inordinationem. Recte igitur septem sacramenta a Christo instituta sunt, eisque sufficienter est Ecclesiæ provisum. Atque hæc sufficiant etiam de reliquis congruentiis D. Thomæ, quæ per se satis claræ sunt.

ARTICULUS II.

Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum prædictum (4, d. 2, quæst. 1, art. 3, et d. 7, quæst. 1, art. 1, quæst. 2, et Ephes. 5, fin.

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter sacramenta ordinentur secundum modum prædictum. Ut enim Apostolus dicit, 1 Cor. 15, prius est quod est animale, deinde quod spirituale. Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quæ est animalis; per baptismum autem generatur homo secunda generatione, quæ est spiritualis. Ergo matrimonium debet præcedere baptismum.*

2. *Præterea, per sacramentum Ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Sed agens est prior sua actione. Ergo Ordo debet præcedere et baptismum et alia sacramenta.*

3. *Præterea, Eucharistia est spirituale nutrimentum. Confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti, et per consequens prius eo. Ergo Eucharistia est prior confirmatione.*

4. *Præterea, pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam. Sed dispositio præcedit perfectionem. Ergo pœnitentia debet præcedere Eucharistiam.*

5. *Præterea, quod est propinquius fini ultimo, est posterius. Sed extrema unctio inter omnia sacramenta propinquior est ultimo fini beatitudinis; ergo debet habere ultimum locum inter sacramenta.*

In contrarium est, quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta, sicut prius dictum est (art. præced.).

Respondeo dicendum, quod ratio ordinis sacramentorum apparet ex his, quæ supra (art. præced.) dicta sunt. Nam sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quæ

ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur Ordo et matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen post Ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter sunt priora illa, quæ per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitæ, quam illa quæ ordinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens novum superveniens, cujusmodi sunt pœnitentia et extrema unctio. Posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quæ consummat sanationem, pœnitentia quæ inchoat. Inter alia vero tria manifestum est, quod baptismus qui est spiritualis regeneratio, est prius, et deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, et postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis.

Ad 1 ergo dicendum, quod matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, est naturæ officium, sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis est sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, ultimo ponitur inter sacramenta.

Ad 2, dicendum, quod ad hoc quod aliquid sit agens, præsupponitur quod sit in se perfectum, et ideo priora sunt sacramenta, quibus aliquis in seipso perficitur, quam sacramentum Ordinis, quo aliquis constituitur perfectior aliorum.

Ad 3, dicendum, quod nutrimentum et præcedit augmentum, sicut causa ejus, et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia præmitti confirmationi, ut Dionys. facit in lib. de Eccles. Hierar. (cap. 3 et 4), et potest postponi, sicut Magister facit in quarto sententiarum (dist. 7 et 8).

Ad 4, dicendum, quod ratio illa recte procederet, si pœnitentia ex necessitate requireretur, ut præparatoria ad Eucharistiam. Sed hoc non est verum, nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ. Et sic patet, quod per accidens pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet supposito peccato, unde dicitur 2 Paralip. ultim. : Tu Domine justorum, non posuisti pœnitentiam justis.

Ad 5, dicendum, quod extrema unctio, propter rationem inductam (in argum.), est ultimum inter sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ.

COMMENTARIUS.

Unde sumatur ordo sacramentorum inter se. — Numeraverat D. Thom. articulo præced. septem sacramenta, hoc ordine : baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, Ordo, matrimonium; quærit ergo in præsentem, an hic ordo numerandi sacramenta sit conveniens, id est, an sit fundatus aliquo modo in ipsis sacramentis, vel omnino sit voluntarius. Et respondet esse convenientem et fundatum in ipsis sacramentis. Cujus signum adducit in argumento Sed contra, quia ab omnibus hoc ordine numerantur, nam si res fuisset prorsus voluntaria et ad libitum, non tam facile omnes in ea convenissent. Cum autem D. Thomas omnes dicit, Scholasticos potissimum intelligere videtur; quos Concilia, præsertim Florent. et Trident., hac in parte approbasse videntur; quamvis nonnulli ex scriptoribus antiquis, interdum hunc ordinem mutant, ut in solut. ad 3, idem D. Thomas indicat, et infra latius dicam in principio disputationum de Eucharistia. Rationem autem hujus ordinis optimam reddit D. Thomas, quæ in littera satis clara est. Solum potest dubitari, quisnam sit hic ordo sacramentorum; non est enim ordo perfectionis. Nam de hoc agitur in art. sequenti; nec necessitatis, quia de hoc in art. 4 tractatur; nec naturæ, seu causalitatis, quia unum sacramentum non est causa alterius; neque etiam est ordo temporis, quia non est necesse sacramenta eo ordine suscipi, quo numerata sunt. Respondetur hunc ordinem præcipue videri sumptum ex finibus sacramentorum, quatenus ad spiritualem vitam ordinantur, vel cum illa conjunctionem habent. Nam hoc modo hominum perfectio seu spiritualis vita prius consideratur in singulis personis, quam intelligatur aliquid esse necessarium in tota communitate in ordine ad hunc finem; et hoc modo dicuntur esse priora, sacramenta ordinata ad singulos, quam ad communitatem, et ea quæ sunt per se, his quæ sunt per accidens, et sic de aliis. Hinc vero fit, ut hic ordo partim consurgat ex majori necessitate, vel in ordine ad effectum, vel in ordine ad usum aliorum sacramentorum; sic enim baptismus est simpliciter primus inter omnia sacra-

menta. Partim vero ex ordine ad usum, vel necessarium vel convenientiorem; quomodo confirmatio est prior Eucharistia, per se loquendo, ut infra dicam disputans de confirmatione; et pœnitentia, quam extrema unctio, si peccatum actuale præcessit. Partim denique ex majori perfectione, seu spiritualitate, ut D. Thom. loquitur, qui hac ratione dixit matrimonium Ordini postponi; et hæc sufficiant de præsentem articulo. Nam in eo solum videtur D. Thom. voluisse reddere rationem illius ordinis, quem in disputatione de sacramentis scriptores tenere consueverunt.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter sacramenta (4, d. 7, q. 1, art. 1, q. 3, cor., et d. 7, q. 1, et 4 cont., c. 74; et Ver., q. 27, art. 4, cor.).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sacramentum Eucharistiæ non sit potissimum inter sacramenta. Bonum enim commune potius est, quam bonum unius, ut dicitur 1 Ethicor. (cap. 2, in fin., tom. 8). Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune speciei humanæ per viam generationis, sacramentum autem Eucharistiæ ordinatur ad bonum proprium summentis. Ergo non est potissimum sacramentorum.

2. Præterea, digniora sacramenta esse videntur, quæ per majorem ministrum conferuntur. Sed sacramentum confirmationis et sacramentum Ordinis non conferuntur, nisi per Episcopum, qui est major minister, quam simplex sacerdos, per quem confertur Eucharistiæ sacramentum. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

3. Præterea, sacramenta tanto sunt potiora, quanto majorem virtutem habent. Sed quædam sacramenta imprimunt characterem (scilicet baptismus, confirmatio et Ordo), quod non facit Eucharistia. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

4. Præterea, illud videtur esse potius, ex quo alia dependent, et non e converso. Sed ex baptismo dependet Eucharistia, non enim potest aliquis Eucharistiam accipere, nisi fuerit baptizatus. Ergo baptismus est potior Eucharistia.

Sed contra est, quod Dionysius dicit (cap. 3, Eccl. Hier., non remote a princ.), quod non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per divinissimam Eucharistiam.

Ergo hoc sacramentum est potissimum omnium aliorum.

Respondeo dicendum, quod simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet: primo quidem ex eo, quod in eo continetur; nam in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata a Christo, ut ex supra dictis patet (q. 62, a. 3, ad 4). Semper autem, quod est per essentiam, potius est eo, quod est per participationem. Secundo, hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem; nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem. Manifestum est enim, quod sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem; sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem; in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per pœnitentiam etiam et extremam unctionem præparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi. Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur: unde et Apostolus dicit, Ephes., cap. 5: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Tertio, hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consumuntur, ut Dionysius dicit (cap. 2, Eccl. Hierar., circa princ.), sicut patet, quod ordinati communicant, et etiam baptizati, si sint adulti. Aliorum autem sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multiplex. Nam in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramentum Ordinis. Medio autem modo se habet sacramentum confirmationis. Sacramentum vero pœnitentiæ et extremæ unctionis sunt inferioris gradus a prædictis sacramentis, quia sicut dictum est (art. 1 hujus quæst.), ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium superveniens defectus. Inter quæ tamen extrema unctio comparatur ad pœnitentiam, sicut confirmatio ad baptismum; ita scilicet, quod pœnitentia est majoris necessitatis, seu extrema unctio est majoris perfectionis.

Ad 1 ergo dicendum, quod matrimonium ordinatur ad commune bonum corporaliter; sed bonum commune spirituale totius Ecclesiæ.